

da: Alphidius: Accipe albedinem, & nigredinem dimitte. Democritus: Mundifica stannum cum præcipua ablu-tione, extrahe ab eo nigredinem eius, & obscuritatem eius, & apparebit candor eius. In opere Sorin: Dissolve albo igne quousque videatur vt gladius denudatus, & fac dealbando corpus esse candidum. Rasis: Aqua cum miscetur Aeri, ipsum interiùs dealbat. Hæc dealbatio dicitur à quibusdam imprægnatio, quia terra dealbatur. Dominante namq; aqua, terra crescit & multiplicatur, & augmentatio nouæ prolis inde generatur. Alphidius: Tunc oportet te terram nigram abluere, & igne calido dealbare. Vnde Hali dicit: Accipe quod ad fundum vasis descendit: & abluere istud cum igne calido, quousq; auferatur eius nigredo, & recedat eius spissitudo, & fac ab eo euolare additiones humidatum, donec deueniat calx nimis alba, in qua non erit macula. Tunc enim terra ad recipiendam animam est habilis & purata. Vnde dicit Mercurinus:

*Firmans mutatum prægnatio spondet hiatum.*

*Qui bene prægnantur, concordî pace ligantur.*

Vnde dicit Morienes: Hæc terra cum aqua sua putrefit & mundificatur, quæ cum mundata fuerit, auxilio Dei totum magisterium dirigetur. Hermes quoque ait: Azothi & ignis latonem abluunt, & nigredinem ab eo auferunt.

Ideo dicit Philosophus: Dealbate latonem, & libros rumpite, ne corda vestra rumpantur. Hæc est enim compositio omnium Sapientum, & etiam tertia pars totius operis. Iungite ergo, vt dicitur in Turba, siccum humido: id est, terram nigram cum aqua sua, & coquite donec dealbetur. Sic habes aquam & terram per se, & terram cum aqua dealbatam: illa albedo dicitur aër.

Salomon, Sapientiæ septimo: Hanc scientiam pro luce habere proposuit, & super omnem pulchritudinem & salutem. In comparatione illius lapidis preciosi non comparauit illum: quoniam omne aurum tanquam arena exigua est, veluti lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Melior est enim acquisitio eius negotiatione argenti & auri purissimi. Fructus illius preciosior est cunctis opibus huius Mundi, & omnia quæ in Munde